



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

Druzbicki, Kaspar

Coloniæ, 1721

Dies IV. De occasionibus solidæ Virtutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

nere debet. Ad hæc aspirare omnes nos convenit, quotquot perfecti non sumus, in his stare, in his eminere, in his roborari & perfici, hæc sapere eos convenit, quotquot perfecti sunt. Quòd si cui hæc ardua videntur, is sciat non impossibilia proponi, sed perfecta; ad quæ conari tenentur, qui studium perfectionis profitentur.

D I E S IV.

De occasionibus solidæ virtutis. 1. In vitâ privatâ. 2. In dispositione Superiorum de nobis quoad studia, officia, gradus. 3. In executione officiorum.

C O N S I D E R A T I O X.

De occasionibus solidæ virtutis in vitâ Religiosâ privatâ.



Utiore fuere proximæ Considerationes, id enim natura earum requirebat, ut fusiùs proponerentur. Quanquam, si quæ res est, loquamur, multa sunt ad considerandum proposita, non autem fusiis sed adstrictis verbis explicata. Sequentes tamen Considerationes pressiores forsan erunt, quantum etiam per materiam earum licebit.

Considerandæ ergo se offerunt occasiones virtutis

tutis solidæ in vitâ Religiosâ, quæ quidem aut est omninò privata, & in qua soli sibi Religiosus attendit, & ea tantùm, quæ sunt universaliter omnibus præscripta, facit; aut certè est officiis aliquibus applicata, & in aliorum etiam usum derivata. Utraque vita & est occasio & habet occasiones virtutis, sive solidandæ sive solidæ. Hoc loco expendimus vitam privatam, & quomodo sit solidandæ solidæve virtutis occasio, inspicimus.

Vita ergo privata, & intra domesticos parietes inclusa, nullis publicis officiis, nullis conversationibus externorum, nullis curis subditorum implicita, sicut est omnium pacatissima, ita etiam ad solidas virtutes conquirendas exercendâsque aptissima; adeò, ut qui in hac vita positus solidarum virtutum studio se non dederit, neque iis animum imbuerit atque insuefecerit, is nunquam deinceps virtutem ullam solidam sibi comparaturus sit, sed semper teneras, fragiles, imperfectas & magis in specie, atque externa imagine, quàm in ipsa re & veritate, positas virtutes habiturus. Quod utinam non quotidianis discamus verum esse experimentis! sed videmus omnino, manibusque palpamus, ex privatâ vitâ prodire Religiosos homines in publicum, non cum eâ morum maturitate, non cum eâ passionum edomatione, non cum eâ sensuum mortificatione, non cum eâ à propriis commodis sive sensualibus, sive non sensualibus aversione, non cum eâ cum Deo conversandi seseque gubernandi scientiâ, cum qua & par erat, & Religio sperabat & ipsi poterant prodire. Accedunt enim ad
officia

officia, ad res gerendas, & conversationes, crudi, non excocti à passionibus, impotentes iræ, linguæ, lætitiæ, invidiæ, cupiditatis, æmulationis, gulæ, avidi laudis, orii, commoditatum, favorum: impatientes monitionum, delationum, observationum: effusi ad externa: rædiosi in orando, legendo, se examinando, alta sapientes, nulli non, iudicio suo, pares, sive personæ, sive officio; regimini, & regentibus asperi, atque refractarii, factiosi, humilium operum & officiorum fugitantes, regularum contemptores, fratrum observantiorum & disciplinatorum persecutores & irrisores, innocentium, incautorum subversores, profectus sui spiritualis negligentes, ac de eo nunquam seriò solliciti. Tales, dico, vel prodeunt, vel postquam prodierunt paulò alii, tales tamen citò efficiuntur, & ad sæculi mores sub vestitu Religioso se conformant. Atque inde postmodum fit, ut quoniam periculosi sunt, quoniam in officiis & ipsi pereunt, & aliis etiam publicè nocent, ab officiis avelli, à locis abstrahi, à conversatione arceri cogantur. In quo passu illi non se accusant, sed delatorum malitiam, sed Superiorum credulitatem, sed aliorum invidiam causant, neque agnoscunt errata sua, neque agnoscunt pericula sua, neque agnoscunt scandala, domesticis vel externis à se data, neque agnoscunt, ad eorum mutationem coactam descendere merentemque tam Religionem quam Superiores Religionum, cum doleant, eis se uti non posse ad sui instituti munera, quos ad illa securè & ritè obeunda, tanto tempore, tantò sumptu, tantâ curâ, tot labo-

labo-

laboribus , instruere atque perficere laborarunt. Tota porro hæc malorum series ex illo in primis profluit fonte, quia in privata vita ab istis seriò spiritui, seriò mortificationi, seriò virtutum usui vacatum non est, sed omnia acta perfunctoriè , ad oculum, politicè, vel serviliter. Unde perfectio vel nulla acquisita est, vel radices non misit, sed incalescente occupationum sole nata exaruit , quia non habuit humorem. Sed hæc obiter expensa sint. Vita igitur privata, occasio, & spatium , & tempus aptissimum est, solidandæ virtutis, quâ quidem occasione quisquis gaudebit , & sapiet, is quàm fructuosissimè eâ uti laborabit, juxta illa capita omnia Conf. 7. & 8. primæ & secundæ classis Religiosis superiùs commendata, quibus adjungi hæc poterunt sequentia.

1^{um} erit Caput, Sectari vitam communem in omnibus, ita ut facias ea, quæ omnibus facienda præscribuntur, facias cum omnibus eo scilicet tempore, & loco, & ordine, ac modo. Surge, cum surgendum : præpara orationem cum præparanda est: meditationem fac, quando alii faciunt : Sacrum fac vel audi, quando tibi præscriptum est : nulla in re eximius esto. omnes æqualiter ama & honora : omnibus æquè promptè inservi, nisi fortè cum humilioribus libentiùs velis conversari.

2^{dum} Caput. Vitam secteris communem, sed tamen ne secteris communem, hoc est : omnia quæ aliis facienda imperantur, & tu fac, non eo tamen modo, quo alii fortè communiter & de plebe Religiosi solent, sed longè alio, perfectiori, accuratiori

tiori, fœcundiori modo fac. Age ordinaria, sed non modo ordinario, verùm sublimiori, & ad Dei gustum accommodatori. Nolo te exoticum & singularem esse: externas apparentias vita; intus operare, intus perfectio tua sit, *quia omnis gloria filia Regis ab intus.* Psal. 44. 14. Id verò cum in omni opere serva, tum præcipuè in his, quæ interioris sunt hominis bonâ & opera, ut est, Oratio, Meditatio, Sacramentorum usus, in his apparandis Sanctissimos quosque æmulari, & transcendere ad-labora.

3. Ama nesciri, ama latere, ama ignorari & pro nihilo reputari, præcipuè ab extraneis. Nidus est iste humilitatis, fons pæcis.

4. Omnis actionis exercendæ à te, habe modum, & certas tuas in quovis opere observationes pias, sanctas, internas, solidas: quæ te faciant tibi notum, quæ te faciant cautiorem, puriorem, ferventio-rem, Deo propiorem, ut sunt: reflexio practica, prævisio occasionum virtutis vel peccati, intentionis renovatio &c. Oblatio & sacrificatio tuâ, imitatio Christi, devotionis ignitæ fervor, voluntatis divinæ gustus, atque dignitatis æstimatio, &c. dolor de defectu, propositum, &c.

5. Nullius vitam, nullius eventum, nihil novum, nihil factum, vel futurum curiosè cognoscere velis: tecum habita, quid ad te? sufficiant tibi ad occupationem & notitiam, Deus, tu ipse, officium tuum, cætera aliis relinque. Nemo tibi sit malus, præter te ipsum; neminem labora judicare præter te ipsum, quia nemo læditur nisi à se ipso.

Nulli

Nulli ergo invigila, nulli diffide, nulli irascere, neminem puni & accusa & damna, nisi te ipsum.

6. Cubiculum ama ut cœlum, extra illud esse sine obedientia & caritate ac necessitate cave, festina ad illud, tanquam piscis ad aquam.

7. Legere, loqui, audire, scribere spiritualia cum potes, ambitiosè etiam satage. multa disces à calamo tuo, quæ nunquam credideras in eo à Dei gratia esse deposita. Multa disces & ab aliis.

8. Motus animi tui, quos inspirationes, lumina, dictamina, actualis gratiæ auxilia vocamus, observa lynceis oculis, & quocumque in loco advenerint tibi, rape, rumina, scribe: venæ enim ista susurri Divini, ineffabilibus plenæ divitiis, deliciis, præsidiis. Expertus credes.

9. Nullum te magis delectet vitæ genus atque exercitii, quàm quod te ad tuæ notitiam, & Dei scientiam deducit: cujusmodi est meditatio reflexa, atque reflexio ipsa: Examen conscientiæ, tam super admissa mala, quàm super omissa bona, crebrum in die, Collectio diurna, hebdomadaria, menstrua &c. vitiorum impugnatio, aut virtutum exercitatio certarum, singulis diebus, certo numero. Nulla anima est nitidior quàm illa, quæ in manibus est semper. Cor extra manus positum, contrahit rubiginem, sicut extra incudem vel usum, ferrum.

10. Ama vitam privatam, & ejus tempus bene colloca, ea interim conquiendo, quæ proderunt tibi cum eductus fueris in vitam publicam.

11. Hu-

11. Humiliationes tuæ atque mortificationes præcipuè confusivas & honoris conculcivas quære, subi, ama, puniri patere, moneri quære, Carnem crebris sed brevibus, & quas multos in annos continuare possis mortificationibus, semper preme. Plus profunt quotidianæ breviores, quàm raræ longiores afflictationes. Gulositatis esto inimicus, hæc enim subministrat pabula igni gehennali.

12. Vitæ tuæ ratio constet Magistris tuis Ducibusque spiritûs, in quorum manibus esse, ut puer innocens & simplex, cura: illi tecum habeant eam libertatem quàm tu ipse. Quòd si contingat te carere tali Patre, eo utere, quem poteris habere. porro præ omnibus tu tibi esto custos & monitor: & cum per omnia tibi attendere curaveris, adverte, ne ipsam curam & diligentiam negligas. Totum te cura, totumque spiritum, sed in his etiam ipsammet spiritûs curam cura. Fervori tuo ferventer attende: examen tuum examina: reflecte te super reflexionem tuam, & de tua meditatione meditare, nihil sinas à te fieri ex usu: nunquam supponas te satis versatum, assuetum huic vel illi exercitio: assuetudini ipsi attende, & ne illi assuescas cave. Consuetudo tua, semper tibi sit nova, & tu illi.

Hæc in privata vita, & in omnibus ejus actionibus (si quis sit Tyro, sive literarum studiosus, sive juventutis Magister, sive temporalis Coadjutor, sive quicumque extra communiora positus) occupationibusque observâsse; proderit ad virtutis soliditatem, sive parandam, sive tuendam.

CON-

CONSIDERATIO XI.

De occasionibus solida virtutis in dispositione Superiorum de nobis expectanda & acceptanda.



Ita publica, quâ ad aliis inserviendum destinamur, duplicem habere assolet difficultatem. Una est Applicatio ad illam, vel applicationis expectatio, atque acceptatio. Altera est, ejusdem executio. Hic de priore consideramus.

In Societate vita privata non ideo indulgetur, ut in ea hæreatur, sed ut in ea ad publicam Religiosus præparetur, ubi præparatus fuerit in privatâ, & publicam expectet. Publicam vitam voco officia atque ministeria, quæ aut sunt domestica, ut esse Superiorem, Ministrum, spiritûs Præfectum; aut sunt ad externos, ut esse Confessarium, Concionatorem, Professore, Missionibus deputatum, Oeconomicæ rei curandæ addictum, Janitorem, Sacristam, Emptorem &c. Ad hæc spiritualia officia applicatio post privatam vitam expectanda est: nec verò ad officia ipsa solùm, sed etiam ad tempus, quando & quamdiu: ad locum, ubi: ad personas, apud quas & cum quibus officia obeunda erunt.

Hæc expectatio difficultatem habet, & audeo dicere, lima est atque Lydius lapis solidæ virtutis. Quem hæc expectatio non pertentat, mihi multùm

F

solidæ

solidæ virtutis ille videtur præclarum signum habere. Josephum Anchietam nostrum legimus, de se aliquando pronunciâsse, nunquam sibi in mentem venisse, posse se fieri Sacerdotem, item nunquam sibi in mente obversatum, posse se fieri professum. Et ista exspectavit, curavit, laboravit fieri, cui neque posse se fieri in mentem unquam venit? O! qualem in anima illa pacem habitâsse credam, quàm uni Deo, uni ejus voluntati & gloriæ curandæ intentam, cui de se talia cogitandi nunquam in mentem venit! Et quid est sibi unire, animam suam perdere, oblivisci suû, totum se in Deum transfudisse ac immersisse, totum suum cogitatum in Deum jactâsse, si hoc non est? Est igitur hæc de sua dispositione incuria, virtus solida, dispositionis autem exspectatio, virtutis solidæ exploratio. Quid in hac re sentiam Religioso faciendum, hisce capitibus exponam.

1. Desidero, ut Religioso nunquam in mentem veniat hæc quæstio. Quid de me fiet? Venit aliquando in mentem B. Aloysio istiusmodi cogitatio, quam ita expellere laboravit, ac si capitalissimi sceleris periculum sese objecisset.

2. Si quando venit ista cogitatio in mentem, illico explodat illam dicens: Quid ad me? *Dominus regit me, Dominus providebit, Domino est cura de nobis.* & uno verbo, caput illud Evangelii, in quo Dominus contra sollicitudinem accuratè disputat, opto medullitus à Religioso, & disci, & verè penetrari. Ac profectò, si quæ cogitatio Religioso, ista sanè est in injuriam Dei, ejusque voluntatis

tatis

tatis, providentiæ, ac fidelitatis. Commisit se Religiosus Deo regendum per Superiores, ut quid ergo de se cogitat? An non fidit Deo? an putat malè de illo dispositurum Deum? an non salubriter? an non ad exigentiam ejus? Hæc est iniquitas infidelitatis pessimæ, hæc cogitatio sacrilegæ mentis & de Deo in bonitate non sentientis. Si credis Religiose, Deum esse sapientio rem quàm tu, crede etiam, quòd meliùs nôrit: quid tibi evenire, quid agere, ubi manere expediat, quàm nôsti tu. Si credis, te magis à Deo diligi quàm à te, crede etiam, quòd Deus meliùs tibi velit, melioraque & in melioribus circumstantiis tibi ordinaturus sit, quàm vel cogitare, vel optare possis tu. Si credis, Deum esse meliorem quàm tu, crede, quòd meliora etiam pro te provisurus, atque inventurus sit quàm tu. Si credis Deum esse potentio rem quàm tu, crede etiam Deum efficacius tibi salubria, nemine impedire valente, provisurum quàm te. Crede ergo Deo, projice te in eum, projice securus: non se subtrahet ille, non deerit tibi, non fallet fidem.

3. Desidero, ut Religiosus, quantum ad præsens propositum attinet, illam Regulam ex Comm. 21. & intelligat, & in memoria, & multò magis in praxi teneat: (Quæ à Superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab aliis exquisitat, aut conjecturam faciendò, de iis sermonem misceat, sed unusquisque sibi ac muneri suo attendens, quidquid de se atque aliis constituendum erit, tanquam de manu Dei expectet.) Quæ istâ Regulâ præcipiuntur, hæc sunt. 1. De Regimine

superiorum & de dispositionibus futuris non curiosè inquirendum. 2. Conjecturæ non faciendæ. 3. Cum aliis de hac materia nihil loquendum. 4. Ut id præstari à singulis commodè possit, muneris suo & sibi met à quoque attendendum. 5. A Deo omnia ordinanda sciat, speret, expectet, acceptet. Hæc si servarentur, satis essent. Et ubi sunt illæ nostræ divinationes? prævolationes, minorum Prophetarum revelationes ac prædicationes? assertiones? in vulgus sparsiones? rarè absque injuria aliorum, aut molestia & perturbatione? Hæc sanè etiam à senibus fiunt: sed non ex spiritu Regularum fiunt.

4. Si absque cogitatione & sollicitudine esse non possumus, saltem ea sollicitudo in potestate nostra sit, non faciat nos inquietos. Nihil determinemus vel nolle vel velle, vel petere, vel refugere, sed in medio consistamus, & si quid occurrit aut optabile aut formidabile, Dei totum providentiæ relinquamus, desiderium ad indifferentiam conformemus, & metu futurorum, fortè non futurorum, nos cruciari ac turbari non sinamus.

5. Si petendum est aliquid à Superiore, sic petendum, sicque proponendum, ut Regula summ. 46. præcipit, & ut in exemplo de obedientia præscribitur. Verba Regulæ, duo servari in hac parte volunt. Primum, ut antequam ad Superiorem aliquid referamus, orationem præmittamus ad Deum, quâ factâ si proponendam nihilominus rem senserimus, tum demum proponamus. Secundum, ut re superiori expositâ, ejus omnem curam eidem relin-

relin-

relinquamus, & quidquid statuerit, id optimum dicamus, nec ultra tam per nos, quam per ullum alium urgeamus, sed persuadeamus nobis, id Deum velle, idque nobis & obsequio Dei expedire, quod statuit Superior. Porro in Epistola de obedientia, jubemur animum in quodam æquilibrio collocare, ut neutram in partem postulati plus, minusve propendamus, sed æquo animo parique quiete acceptemus, sive annuat, sive renuat Superior.

6. Si quid contra spem aut propensionem aut honorem reputationemque nostram à Superiore de nobis sit ordinatum, si quid violentius, inexpectatumve tam à nobis, quam ab aliis, de nobis statuatur: tum verò caveamus perturbationem animi, tum ad orationis subsidia recurramus, tum verò ponamus nos in manus Dei, & dicamus: *Non mea, sed tua voluntas fiat Domine*, Luc. 22. 42: tum fugiamus murmuraciones, suspiciones, compassiones, animum non mulcentes, sed exulcerantes, tum gaudeamus, quòd certi simus nos à Deo regi, & quòd non ex humanis seu nostris, sed divinis rationibus simus deinceps victuri, quòd ad actiones nostras sequentes nihil de nostra electione, propriave simus voluntate allaturi. Quà consolatione, nescio, an aliquid sit in vita Religiosa homini Religioso optabilius, atque etiam solidius, hoc est enim summam Votorum Religiosi statum assequi, nempe desciscere à consortio & fermento suæ propriæ voluntatis.

7. Omnis difficultatis atque molestiæ, quæ se se offerre solet in expectatione & acceptatione dispo-

fitionis de Religioso, ipsi homini Religioso, nullus est tons alius præter amorem suū privatum: ex hoc enim timor, ex hoc spes, ex hoc adhæsiō, ex hoc fuga, ex hoc suspicio, murmuratio, repugnantia voluntatis, respectus humani, excogitatio rationum excusantium, refugium ad alios (etiam externos) diffidentia, aliāque plurima mala eveniunt, in animūque Religiosi prorepunt, ac illum pace spoliāt, turbatum reddunt, sibi gravem, molestum superioribus, obedientiæ retractarium, in officio segnem. Monet nos Apostolus: *Nolite locum dare Diabolo*, Ephes. 4. 27. quod explanans Augustinus, ait: *duas esse Diaboli portas, timorem & amorem*. Nihil timeat homo sibi evenire, nihil amet: clausit locum & portam Diabolo.

8. Perfectionis amator Religiosus, in hac materia, aut nunquam cogitabit, quid sit de se statuendum ab obedientia: aut si cogitabit, proponet omnia sibi ob oculos, quæ sperare vel formidare possit, & ea quidem quæ illum deprimere, quæ viliorum in suis & aliorum oculis facere possent, pro se eliget, à Deo petet, ad illa se se, tanquam certò eventura essent, cum gaudio, cum animi protectu & quiete, de manu obedientiæ divinæque providentiæ præparabit, & confirmabit. Sic confirmatam mentem prævisa jacula minùs turbabunt, quia minùs ferient.

9. Porrò pro præsentī negotio, nihil consultius, nihilque ad virtutem solidandam præsentius, planā & plenā suū in Dei voluntatem resignatione, quo genere exercitii in spirituali vita, sicut nihil est
sub-

sublimius, ita nihil utilius, nihil ad omnes animi perturbationes evertendas efficacius, nihil ad æternam cordi pacem parandam robustius, nihil à Religioso animo concipiendum ardentius, quærendum diligentius, augendum avariùs, tuendum obstinatiùs, mendicandum à Deo humiliùs. Hanc qui affecutus est, omnia habet, nec quidquam, quod in vita spiritûs ulteriùs quærat, reperiet. Perfecta enim resignatio, omnis virtus est, & ea quidem perfecta. Hujus dignitatem, si quis ignorat, (ignorat autem, quia expertus non est) frustra laudo; si quis novit, etiam frustra laudo, nam nec ille capit quod dicitur, & iste meliorem laudatorem, experientiam scilicet suam, habet.

Quod autem dixi hætenus in hac Consideratione de difficultate in expectatione & exceptione dispositionis ad officia atque ministeria: Id ipsum dico de exceptione dispositionis ad studia harum vel illarum scientiarum, illo vel illo loco, tanto vel tanto tempore. Item id ipsum dico, de exceptione dispositionis seu promotionis ad Sacros Ordines, post tot vel tot, studiorum talium vel talium annos. Item id ipsum dico de exceptione dispositionis, seu promotionis ad gradus Religiosos trium & quatuor votorum, solennis vel non solennis professionis, ut mos est. In qua exceptione talium dispositionum, quæ, quantæ, quales soleant aliquando esse in aliquorum animis difficultates, luctæ, pugnæ, mœrores, nihil attinet dicere, quia forsitan nemini non contingit oculis videre. In his passibus nihil suaserim aliud, præter jam dicta. Certè cum

ad Religionem perreximus, nulla studia, nullos ordines, gradus nullos, ob oculos nobis proponebamus. Unicum propositum fuit, Deo servire, animam salvare, ex mundi laqueis ac periculis evolare, pro Deo & Christo pati, humiliari, obedire, laborare, ad omnem Superiorum voluntatem paratum esse. Ut quid ergo linguam hanc tunc obliviscimur, quando illam vel maximè callere debuimus? Si tot vel tot annorum doctrinæ causâ Religionem iniisti, sacrilegus es, & mendax & impostor; insuper stultissimus es, qui tam arduâ viâ (qualis est Religiosa vita) scientias quæsiturus venisti, quas longè planiore, sæcularis vitæ tramite obtinere potuisti. Quòd si meditans Religionem, curam studiorum tuorum & scientiæ, annorumque in ea ponendorum reliquisti, cur ergo nunc illam tibi resumpstisti? cur tibi arrogas, quod pridem, quod Deo providentiæque ejus permisisti? Non vides, te meliore spiritu præditum fuisse nondum tyro-nem, quàm nunc veteranum? non pudet defecisse te, in quo profecisse debueras? Ad hæc, scisne tu expedire tibi tot annorum & ista studia? Si nôsti: aut stultus, aut injurius est Deus in te, qui tibi proficua ad salutem & profectum invidet: tu verò & justior, & sapientior es Deo. Si non nôsti: ut quid ergo ignota appetis, & forsitan nocitura? Cur ea quæ optimus animarum curator Deus tibi subtrahit, pabula, asserens periculo etiam non vacare, tu importunus puer, ut æger, exposcere, ut lacrymans exigere non desines? Ad Sacerdotii tempora quod attinet; unum tantum quæro ex te, qui

qui

qui turbaris: jamne ita purus & Sanctus es, sacerdotioque idoneus, ut S. Franciscus Assisius fuit, quando ad Ordines sanctos recipiendos pergens, ab Angelo repulsus fuit? si ita purus es, nondum sacerdotio aptus es; si purior: audeo tibi objicere illud Iudaicum: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Ioan, 8. 2. nescio autem, an tu mihi verbis Christi responsurus sis. Ad gradum in Religione quid dicam? Non aliud, quam illud: Antiquæ Societatis mos fuit, petere, & Tyronibus petendum jugiter inculcare: Domine, da mihi humilem seu infimum in Societate gradum. Quod ipsum si nos eodem illo primævo & sincero spiritu peteremus, & postulare consuesceremus, audeo dicere, nec ipsi in oblatione humilis gradûs quidquam timoris ac mœroris sentiremus, nec alios tentientes notaremus. *Vtinam Deus convertat corda Patrum in filios*, illorum inquam Patrum, quibus nunquam in mentem venit, posse se professos 4. Votorum fieri, quibus supra suum meritum, & dignitatem videbatur, ad gradum formatorum spiritualium evehi. Cujusmodi etiam nunc non existimo deesse, opto tamen omnes omnino tales esse.

Hæc quæ dicta sunt, sic considerentur, ut ad intimos animi recessus demittantur, & cum solitis animi sensibus consuetudinibusque conferantur, ac tandem ad normam eorum animus, si fortè dissimilis est, componatur & solidetur, ut in expectatione dispositionis superiorum de se, non sollicitus, non turbatus, sed securus, sed quietus permanere,

& omnia tanquam de suavissimæ prudentiæ Dei manu exspectare, acceptarèque consuescat.

CONSIDERATIO XII.

De occasionibus solidæ virtutis in executione officiorum.



Solida Virtus non solum Religiosum armare debet, ad Religiosè exspectandam acceptandamque dispositionem de se Superiorum, voluntatisque divinæ: etiam ad executionem officiorum impositorum eos comitari & adjuvare debet. Sunt enim nonnulli, qui imperata sibi officia acceptant, illi quidem utcunque Religiosi, sed eadem exequentur haud equidem religiosè, vel quia exequendi illa usum non habent, vel quia ad ea exequenda, non propriæ, sed tantum alienæ voluntatis gustum adduxerunt, vel quia molestum, invidiosum, humile, censuris obnoxium officium arbitrantur, vel quia pusillo animo sunt, & respectibus humanis laborant, vel quia non diu se in officio mansuros sperant, vel quia commodis propriis, quibus inhiant aut insueverunt, in officio præsentis carere coguntur, vel quia per hoc officium obstrui ad alia sibi gratiora & destinata aditum putant, vel quia se tantum vexari seu probari opinantur, non autem seriò applicari, vel quia in eode erroribus admonentur, quæ admonitio cum molesta sit, cupiunt carere officio potius quam moneri.

moneri.

moneri, vel quia (ut reliqua omittam) hanc sibi extricandi se ab invito officio viam deligunt, si aliud consultò negligenter, non ad mentem obedientiæ, non ad mensuram suæ sufficientiæ obtigerit, & ex hoc ad aliud obeundum inepti, atque adeo etiam amovendi iudicati fuerint.

In hoc rerum atque occasionum genere, quomodo Religiosa solida virtus, vel exerceri vel possideri possit, sequentibus ex capitibus cognosci ex parte poterit.

Primum Caput. Non est subditi Religiosi iudicare, sicut de assignatione ad officium, ita & de viribus exequendo officio paribus. Obedientia enim non aliter iudicare potest, quàm scriptum est: *Sicut audio, ita iudico.* Ioan. 5. 30. de cætero iudicare imperantium est, facere obedientium. Quàm sæpè experimur, nos superioribus opponere impotentiam virium, qui potiùs sub isto prætextu opponimus refragationem voluntatis! dicimus, repetimus: non possum, non possum, cum tamen illud nihil aliud sonet, nisi, nolo, nolo. *Mentitur iniquitas sibi* Ps: 26. 12. & quod non vult, hoc se non posse facit, enervâtque vim obedientiæ, & fidem in voto Deo obligatam frangit. Obedientia non attendit, an possit, sed attendit, ut possit; conatur etiam ea, quæ non potest, ut super aquas ire, leones capere, saxa movere. Dicentium ergo: non possum, excusatio nulla est nec audienda, sed urgendi sunt, ut experiantur, ut faciant quod possunt, & eum sequantur, qui ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Constat experientiâ quotidianâ

dianâ in Religionibus , virtute obedientiæ , ab obedientibus ea perfici cum dignitate , ad quæ facienda videbantur humano iudicio destituti possibilitate. Sed hæc (ut sic loquar) non mirabilia miracula (eò quia quotidiana) delicata immortalitatis suæ voluntatis mancipia non vident , quia ad nihil , nisi ad id , quod sibi libet , oculos conversos habent.

In Religione , vitæ nostræ & actionum pretium ab obedientia est. Unde nullum in Religione officium humile est , nisi cui non obedientia , sed voluntas propria adjuncta est. *Melior est obedientia quam victima* , 1. Reg: 15. 22. ait scriptura : & ego victimas non hircorum aut vitulorum intelligo tantum , sed etiam victimas spirituales comprehendendo. Nec mirabitur me quisquam , opinor , qui apud S. Thomam legerit & crediderit , ipsius etiam IESU Christi sacrificium cruentum obedientiâ commendari debuisse , ut gratius fieret æterno Patri. Quis hîc , quæso , sensus nobis , obedientiæ contemptoribus re , laudatoribus ore , voto professoribus ? Si quid ergo tibi ô Religiose obedientia præcipit , humile jam , & famæ tuæ scilicet noxium , derogatoriumque ne dixeris , satis illud tibi obedientia speciosum effecit. & si tibi superbia tua dixerit : ne facias quia vile est , eris apud homines ex hoc contemptibilis. responde illi : Mentiris : non est vile , quod est gratum obedientiæ ; quis me contemnet , si obedientem sciet ?

3. Invidiosum officium , redde , exequendi modo , ordine , dexteritate , suavitate , diligentia usitatâ ,

usitatâ, & cum praxi, non invidiosum. quòd si id facis, & nihil tamen proficis, junge obedientiæ patientiam, junge constantiam, junge in obloquentes caritatem & beneficentiam. Vincit sapientia malitiam, vincit caritas invidiam. Deum in officio quære. Deum cura, Regulas officii tene, pro disciplina zela, non errantes sed errores persequere, linguis altior sis, respectibus humanis nihil da. De invidentibus, de detrahentibus, de molestantibus, de obsistentibus tibi in officio nemini conqueraris, nisi obedias ipsi; idque coactus & modestus, excusans potiùs, non incusans; neque officium ideo deprecans, sed ex spinis rosas colligens, & mala pro bonis retribui tibi gaudens.

4. Officium vel ad horam commissum, vel post horam deponendum, ita seriò & exactè gere, ut, si longissimè gesturus sis. Etiam in ultima hora obediendum, immò in obedientia perseverandum est. Etiam in ultimo tempore ac brevissimo vult te obedientia obedientem esse; non est autem plenè obediens, qui in opere obedientiæ vel ad momentum est negligens. Immò verò sine corona opus, & superioris temporis errata aut neglecta finali diligentia compensa.

5. In officio non sunt quærenda propria, sed communia. Officium enim commune est, & aliorum causâ tibi impositum est, non tuâ. Ex magistratu oportet non ditiores sed meliores abire. Ab officio non commoda, sed molestiæ sperandæ ac metuendæ sunt. quippe labor comes officii est, cujus fructus is solum ad te pervenire debet, quòd alii

alii tui laboris fructum capiant, tu verò deterius omnibus vivas, ut dicere possis: aliis inserviendo consumor.

6. Qui obit officium, non faciat sponsonem, se nunquam in officii executione erraturum, nulli molestum futurum, nullius invidiam incursum. Nolit errare, nolit molestus esse, nolit offendere: indubitatè tamen certus sit, se nihil horum evitaturum; proinde moneri & corrigi velit, nec velit esse homo, qui peccare possit, corrigere autem se & corrigi non possit.

7. Sicut de eligendo officio, ita neque de deponendo eodem, vult te Religiosa Virtus sollicitum; tantùm tibi sollicitudinem exequendi illud obeundique relictam scito; cura deponendi ejusdem, est, cujus & præponendi fuit. Non ergo ita gere officium, ut deponi merearis, ut deponi cures, malitiâ functionis. Ex duobus malis, malo officialem, qui repugnanter quid acceptet, sed tamen obeat fideliter officium, quàm illum, qui promptè in faciem acceptat, sed re ipsâ perfunctoriè, & consultò neglectim, ut amoveatur ab eo, illud exequitur. Nam & ille, ore Dominico, Patris voluntatem fecisse legitur, qui imperanti laborem Patri dixit: *non ibo, & tamen ivit*: & ille rebellis judicatus est, qui cùm dixisset eidem Patri, *ibo, neque tamen ivit*. Denique quid hoc plus improbem? cùm legam: *Maledictus qui fecit opus Dei fraudulenter, an negligenter?* Matth. 20. 28. nihil refert, quia utrumque facit, quisquis facit inobedienter. Felix anima, quæ in Cruce cum Christo consummat obedientiam,

dientiam, etiam usque ad mortem si opus est, nec deponi urget de Cruce, sed alieno deponitur arbitrio. Cuilibet dictum credamus, quod uni alicui legimus dictum: *Esto ibi, usque dum dicam tibi.* Matth. 2. 13. Nihil æquè oderit Religiosus, quàm obediendo non obedire, nam & fraudat Deum, & frangit fidem, & se se decipit, & officium corrumpit, & multorum communitati damnosus est, & Societatem fraudat, & Superiores contristat, & semetipsum in peccato inobedientiæ [hoc est Idololatriæ] confirmat atque obstinat. Crimen est, nec leve sanè, & periculo sum non parùm in Religioso perfecto, cogitare tam de imponendo, quàm de deponendo officio quocunque. Nam perfecta virtus resignata est. Resignata verò, suū negligens, in sinu providentiæ Dei dormit, unum illud curans, ut ipsa quidem nihil curet, præterquam ut in sinu providentiæ & in manu voluntatis Dei, æquè in dextera ac in sinistra, *dormiat, & in id ipsum conquiescat.* Psal. 4. 9.

8. Tota aut præcipua administrationis officii (sicut & cujuslibet virtutis) laus, in actione, & in efficacia consistit. Ideo officium committitur, ut fiat: fiat igitur, & fiat fortiter juxtà ac suaviter. Scire, quæ & quomodo agenda sint, scire etiam bene & bona imperare, ac ordinare, multorum, nec omnino difficile est; at, quæ scias, efficere; quæ imperes, ut re ipsa fiant, curare posse, idque tam efficaciter quàm suaviter præstare, hoc singularis reor prudentiæ, & solidæ virtutis.

Hoc est solidæ virtutis, in obeundis omnis generis

ris

generis, ab obedientia impositis officiis ingenium: hæc etiam ratio, virtutis in officiis solidandæ. Inspice te ipsum, qui hæc inspicias; & vide, quàm istis proximus vel remotus sis. Illud omnibus prædictis addere non negligens, ut aliis serviendo non consumaris; ut aliis prædicando, ne ipse reprobus efficiaris; aliorum salutem & perfectionem promovendo, ipse tua perfectione & salute ne priveris. In parte non postrema officii tui, pone etiam curam spiritûs, & animi tui. Quis enim suis (præsertim tantis ac talibus) stipendiis militavit unquam? *aut quam commutationem dabit homo pro animâ suâ?* Matth: 16. 26. Carnis tuæ & famæ tuæ commoda, propter aliorum corpora, famam, animas, perdideris licet: anima tua in conspectu tuo sit semper, ut non tantùm detrimenti patiatur nihil, verùm etiam ut incrementum sumat spiritûs sui, virtutis suæ, perfectionis suæ.

